

amplexus, oscula, colloquia venerea etc.? R. De tactibus vide P. I. n. 731. Hic breviter notandae sunt sequentes regulae, quas tradit P. Sporer hic n. 500. *Primo*, si praedicta exerceantur *cum periculo proximo pollutionis, cum actuali dubio de valore matrimonii*, item *cum voto castitatis*, conjuges peccant mortaliter; de ultimo, scil. de voto, certum est: de dubio pariter manifestum; in hoc enim nunquam licet operari. De periculo pollutionis probatur; quia, cum haec graviter repugnet generationi, aequae illicita est conjugatis, ac aliis; ac proinde tenentur sub mortali vitare illius periculum proximum, et non ponere causam proximam, qualis in tali casu sunt praedicti actus ex supposito. *Secundo*, si vero fiant (secluso periculo pollutionis etc.) inter conjuges in ordine ad copulam, vel ad contestandum, aut fovendum amorem conjugalem, culpa vacat: quia cui concessus est finis, etiam concessa sunt media ordinata ad illum finem; finis autem conjugalis est amor et copula, media sunt praedicti actus: ergo. *Tertio*, si praecise fiant ad majorem voluptatem, quamvis ordinentur ad copulam, sunt peccatum veniale ex dictis. Probabiliter etiam sunt peccata venialia in conjugibus, etsi exerceantur absque animo perveniendi ad copulam, modo absit periculum pollutionis; quia tales actus ordinantur ex natura sua ad copulam ipsis licitam, nec quidquam illis deest, nisi quod hic et nunc non referantur ad eam: solus autem defectus debiti finis est per se loquendo tantum venialis. Vide *Sanch.* L. 9. d. 44. n. 12., *Laym.* L. 1. t. 3. c. 6., *Gobat*, *Diana* contra *D. Antonin.*, *Sylv.*, *Paludanum* et alios, qui dicunt hos actus tunc esse graviter malos, eo quod conjugibus non sint liciti, nisi referantur ad copulam. Illud non videtur negandum, quod plerumque tales actus sint graviter peccaminosi ob periculum pollutionis proximum, quod raro abesse potest, cum ex se commotionem spirituum genitalium valde excitent. *Quarto*, juxta *P. Antoine* tr. de oblig. parent. c. 3. q. 8. R. 2. graviter illiciti sunt conjugibus tactus quidam valde infames, quando scil. inter membrum tangens, v. g. linguam, et partem, quae tangitur, obscenam foeda nimis est proportio; quia tales actus graviter dedecent naturam rationalem, et sapiunt aliquam brutalitatem, nec conjugum potest eos excusare, utpote qui ex se non ordinantur ad copulam conjugalem. Clarius de his loquentem vide *P. Sporer* hic n. 498. Denique probabiliter peccat mortaliter conjux, si in mariti absentia se libidinose, sive ex delectatione venerea tangat, et ex apprehensione mariti absentis voluntarie delectetur commotione spirituum genitalium, quia talis commotio non potest tunc ordinari ad actum conjugalem, sed per se tendit ad pollutionem. *Laym.* L. 1. tr. 3. c. 6. n. 14. contra *Sanch.* De morosis delectationibus conjugum, viduarum, sponsorum ex actibus praeteritis vel futuris, vide P. I. n. 310.

ARTICULUS II. De impedimentis impediens matrimonium.

§. I. Praenotanda.

1232. Impedimentum matrimonii dicitur omne id, quo stante, matrimonium ab aliquibus personis non nisi illicite, vel omnino invalide contrahitur. Unde duplicis generis sunt impedimenta, *impediens* tantum, et *dirimentia*. *Impedimentum impediens* tantum est, quod matrimonium reddit illicitum, quamvis contractum relinquat validum. Hoc impedimentum, quod est impediens respectu matrimonii, evadit dirimens respectu sponsalium, et haec facit nulla; eo ipso enim, quod stante impedimento impediens, v. g. voto castitatis, matrimonium illicitum sit, non potest induci obligatio ad illud contrahendum: quae tamen induceretur, si sponsalia

valerent. Vide c. fin. de pact. *Dirimens* est, quod matrimonium reddit illicitum et invalidum.

1233. II. Posse ab Ecclesia pro Christianis statui certa matrimonii impedimenta, est de fide. Sic *Trid.* sess. 24. de Sacr. matrim. can. 3. ita definit: *Si quis dixerit, eos tantum consanguinitatis, et affinitatis gradus, qui in Levitico exprimentur, posse impedire matrimonium contrahendum, et dirimere contractum, nec posse Ecclesiam in nonnullis eorum dispensare, aut constituere, ut plures impediunt, et dirimant, anathema sit.* Et can. 4. *Si quis dixerit, Ecclesiam non potuisse constituere impedimenta matrimonium dirimentia, vel in iis constituendis errasse, anathema sit.* Dicta potestas statuendi impedimenta non extenditur ad infideles non baptizatos, licet habitent in ditionibus Principum Christianorum, quia nec sunt membra Ecclesiae, nec habent fundamentum subjectionis ad Ecclesiasticam jurisdictionem, nempe characterem baptismalem, ut ait *Suar.* L. 4. de LL. c. 19. Quod etiam haeretici impedimentis ecclesiasticis sint subjecti, vide in Theol. Schol. *Bened. XIV.* Tom. III. Bull. in Ep. II. quae incipit: *Singulari nobis consolationi*, ita habet §. 14.: *Postremo exploratum habemus, ab haereticis baptizatos, si ad eam aetatem venerint, in qua bona a malis dispicere per se possint, atque erroribus baptizantis adhaereant, illos quidem ab Ecclesiae unitate repelli, iisque bonis orbari omnibus, quibus fruuntur in Ecclesia versantes, non tamen ab ejus auctoritate et legibus liberari:* ergo et HH. tenentur legibus Ecclesiasticis de impedimentis matrimonii.

1234. III. Contrahere scienter et voluntarie in impedimento dirimente matrimonium est peccatum mortale, tum quia in re gravi agitur contra legem Ecclesiasticam, tum quia sic contrahentes se exponunt periculo perpetui concubinatus. *Sanch.* L. 7. d. 5. Dubitans, an in impedimento dirimente existat, inquirere tenetur in veritatem, alias erit ignorantia vincibilis, et culpabilis. An licite et valide contrahi possit matrimonium sub vera probabilitate juris et facti de impedimento matrimonii, vide apud *Cardenas* super propos. ab *Innoc. XI.* damnatas diss. 2. a n. 522. et seq.

1235. IV. Agetur in hoc articulo de impedimentis impediens, quae sequentibus versibus comprehenduntur:

*Ecclesiae vetitum, nec non tempus feriatum,
Atque catechismus, crimen, sponsalia, votum
Impediunt fieri, permittunt facta teneri.*

Ex his 6 in suo vigore adhuc manent haec quatuor:

Ecclesiae vetitum, tempus, sponsalia, votum,

de quibus in paragrapho sequenti. De duobus reliquis breviter notasse juvat sequentia. Nomine *catechismi* intelligitur impedimentum, quod olim contrahebatur ab eo, qui respondebat pro infante, quando supplebantur caeremoniae post baptismum in necessitate collatum. Hoc impedimentum jam sublatum esse passim affirmant AA., et quidem vel per illa verba *Trid.* sess. 24. de reform. matrim.: *omnibus inter alias personas hujus spiritualis cognationis impedimentis omnino sublatis;* vel sola consuetudine, ut contendit *Perez*. Pro praxi *Bonac.* recte monet Parochos, ut in libro distinguant paternos catechismi, a patrinis baptismi.

Nomine *criminis* intelligitur impedimentum, quo olim prohibebantur contrahere matrimonium illi, qui certa crimina in antiquis canonibus expressa commiserant. Inter crimina etiam pro impedimento habebatur susceptio propriae prolis ex baptismo in ordine ad impediendam reddi-

tionem debiti, vel si quis propriam prolem baptizaverat in necessitate, talis etiam post mortem conjugis non poterat licite contrahere aliud matrimonium. Item publice poenitentibus non licebat contrahere matrimonium, quamdiu durabat publica poenitentia. De quibus adhuc restant memoriae gratia sequentes versus:

*Incestus, raptus sponsatae, mors muliebris;
Susceptus propriae sobolis, mors presbyteralis:
Vel si poeniteat solemniter, aut monialem
Accipiat, prohibent haec conjugium sociandum.*

Haec per non usum sublata nunc esse passim testantur AA. contra *Rebellum*, siquidem videntibus, nec contradicentibus Episcopis, multi his impedimentis ligati contrahant matrimonium nulla dispensatione petita. Addit *Palao* de sponsal. d. 3. p. 2. n. 23. quod siquis, securitatis gratia, velit habere dispensationem, eam concedere possit Episcopus. Vide *P. Kugler* p. 2. de imped. matrim. c. 1. §. 3. a n. 1075.

§. II. Principia de impedimentis impediens.

1236. *Princip. I.* Praeter statum peccati mortalis (in quo citra grave peccatum contrahere non licet) primo matrimonium reddit mortaliter illicitum *Ecclesiae vetitum* sive *interdictum*, per quod intelligitur prohibitio facta ab Episcopo, aut ejusdem Vicario, vel etiam Parocho de non contrahendo matrimonio ob dubium impedimenti alicujus, donec veritas innotescat. De hoc vide L. 4. Decret. tit. 16. *de matrimonio contracto contra interd. Eccles.*, ubi in duobus cap. adstruitur, matrimonium contra interdictum *Ecclesiae* contractum per hoc quidem non dirimi, sic tamen contrahentibus imponendam esse poenitentiam, eosque separandos esse, donec cognoscatur de causa interdicti. Ergo ex his patet, graviter peccare eos, qui contra *vetitum* *Ecclesiae* contrahunt; nisi certo constet (ut ait *Kugler* l. c. n. 1056. cum *Coningk*) interdictum esse plane injustum. Dispensat autem regulariter in interdicto Episcopus, si ipse vel inferior illud posuerit; secus, si superior.

1237. Ad hoc impedimentum commode reducitur primo Interdictum Juris communis post *Trid.*, ne sponsi contrahant matrimonium absque praemissa trina denuntiatione, de qua facta est mentio n. 1178. Novissime etiam *Bened. XIV.* in constitutione, quae incipit: *Satis vobis compertum*, edita 17. Novembr. 1741. et habetur in tom. I. ejusdem Bullarii pag. 89. jubet, ut accurate praemittantur denuntiationes juxta regulam a *Trident.* traditam, monetque Episcopos, ne facile dispensent a publicationibus. Et sub finem §. quinti addit: *Praeterea licet Episcopo relictum sit omnimode super denuntiationibus dispensare, haec tamen facilitas non a sola dispensantis voluntate pendet, sed a Tridentino coercetur artis prudentiae, discretive arbitrii legibus, quod idem est, ac legitimam causam dispensationis requirere.*

1238. *Secundo*, ad impedimentum interdicti merito reducitur *excommunicatio*; quamvis enim valeat matrimonium (ut arg. ex c. *significasti*, 6. de eo, qui dixit) dum unus vel uterque contrahens excommunicationi subjacet; graviter tamen peccat, qui in excommunicatione majore vel minore matrimonium contrahit: quia talis agit contra grave praecceptum in re gravi. Vide *Laym.* l. 1. t. 5. p. 2. c. 3. n. 4., *Bonac.*, *Coningk.* Imo talis dupliciter peccat, tum suscipiendo Sacramentum in peccato gravi, tum recipiendo in excommunicatione; juxta nonnullos etiam ideo, quia indigne administrat Sacramentum.

1239. *Tertio*, huc reducitur *omissio benedictionis nuptiarum*; quia etsi sine illa valide, illicite tamen contrahitur matrimonium saltem primum. Porro benedictio duplex solet adhiberi, una in ipso contractu matrimonii de praesenti, dum Parochus dicit, *Ego vos conjungo* etc., altera regulariter in templo sub Sacrificio Missae una cum variis precibus. Quod utraque non tantum sit de consilio, sed de praeccepto, satis patet ex consuetudine *Ecclesiae*, quae compellit fideles ad alias suscipiendas: satis eas commendat *Trid.* sess. 24. c. 1. de reform. matrim.; satis clare praecceptum arguitur ex c. 1. 2. 3. 4. et 5. XXX. q. 5. Hinc certum est, quod peccet graviter, qui eas omittit ex contemptu; anathemate enim ferit illos *Trident.* sess. 24. can. 11., qui benedictiones et caeremonias, quibus *Ecclesia* in solemnitatibus nuptiarum utitur, damnaverit. Excusant quidem a gravi peccato *Bonacina*, *Tambur.*, *Perez* eos, qui ex sola negligentia illas omittunt; sed cum in locis, ubi consuetudo et facilitas suscipiendi solemnes benedictiones viget, vix possit deesse suspicio gravis contemptus, nec desit grave scandalum, raro ejusmodi omissio caret culpa mortali.

1240. *Principium II.* Secundum impedimentum impediens est *tempus feriatum*, sive certa quaedam tempora, quibus celebratio nuptiarum ab *Ecclesia* prohibita est, de quibus *Trid.* sess. 24. c. 10. ita statuit: *Ab adventu Domini nostri Jesu Christi usque in diem Epiphaniae, et a feria quarta cinerum usque in octavam paschatis inclusive, antiquas solemnium nuptiarum prohibitiones diligenter ab omnibus observari sancta synodus praecipit: in aliis vero temporibus nuptias solemniter celebrari permittit; quas Episcopi, ut ea, qua decet modestia et honestate fiant, curabunt; sancta enim res est matrimonium, et sancte tractandum: et can. 11. ejusdem sess.: Si quis dixerit, prohibitionem solemnitatis nuptiarum certis anni temporibus superstitionem esse tyrannicam, ab ethnicorum superstitione profectam, aut benedictiones et alias caeremonias, quibus *Ecclesia* in illis utitur, damnaverit, anathema sit.*

Notat hic *Laym.* l. 5. t. 10. p. 4. c. 15. non prohiberi absolute ipsum matrimonii contractum praemissis etiam denuntiationibus in dictis temporibus celebrari, si nuptialis benedictio et solemnis traductio sponsae cum signis laetitiae, convivium, choreae nuptiales etc. intermittantur; tum quia *Tridentinum* expresse tantum loquitur de solemnibus nuptiis; et c. *Capellanus*, de feriis dicat, Romanae *Ecclesiae* consuetudinem esse, *ut quocumque tempore matrimonium contrahatur.* Adde ex Rit. Rom. ubi expresse habetur, dictis temporibus *solemnitates nuptiarum prohibitas esse, ut nuptias benedicere, sponsam traducere, nuptialia celebrare convivium: matrimonium autem omni tempore contrahi potest.* Vide *Antoine* c. 3. de imped. matrim. Pro praxi, uti ibidem subdit cum *Laym.*, *Gobat* et aliis, attendendum est ad consuetudinem ecclesiarum; quia in plerisque dioecibus saltem in Germania Parocho non licet assistere iis temporibus matrimonio absque speciali causa, et urgente necessitate, v. g. si quis in periculo mortis constitutus, vel statim discessurus concubinam ducere velit, eique ad spiritualem salutem matrimonium expedire videatur; quamvis etiam tunc, si fieri possit, ab Ordinario licentia sit petenda.

1241. *Princip. III.* Tertium impedimentum sunt sponsalia prius legitime cum alio contracta, et nondum dissoluta; haec enim impediunt, quominus licite matrimonium cum alio, vel alia contrahatur. Hinc peccat graviter contrahens contra fidem primo datam, ad quam servandam obligatur ex justitia. Quod autem valeat matrimonium subsequens, dictum est n. 1153.

1242. *Princip.* IV. Quartum impedimentum est votum simplex perpetuae castitatis, vel ingrediendi et profitendi Religionem, vel suscipiendi Ordinem sacrum, vel nunquam nubendi. Quodlibet ex his quatuor votis impedit, quominus licite contrahatur matrimonium, quamvis valeat contractum. Constat ex c. *meminimus*. 3. ex c. *consuluit*. 4. *Qui Clerici vel voventes*. Ubi expresse respondet *Alex. III.*: *Quod sicut simplex votum matrimonium impedit contrahendum, et non dirimit jam contractum, ita habitus sine professione susceptus, ne contrahatur, impedit, sed contractum nunquam dissolvit*. Vide ibid. c. *Kursus*. 6. Ideoque graviter peccat contra Religionem, qui voto simplici castitatis obstrictus contrahit matrimonium; quia in re gravi violat fidem Deo datam. *Excipe* casum, quo personae ligatae voto castitatis simplici contraherent matrimonium sub conditione servandi castitatem; sic enim valide et licite contraherent.

§. III. Resolvuntur Casus.

CASUS I.

Quadratus, contractis cum Genovefa sponalibus, incipit familiariter agere cum Quintiliana: familiaritatem advertens Genovefa, rem defert ad Parochum, qui Quadrato matrimonium severe prohibet, negatque, se illi unquam adstiturum. Quadratus amore Quintilianae captus, Parochumque decepturus, quemdam amicorum suorum rogat, ut Parochum una cum aliis duobus bonis amicis tanquam testes futuros ad mensam invitet. Adest invitatus cum aliis Parochus; sub convivio etiam comparet Quadratus cum Quintiliana, et coram omnibus alta et clara voce contrahit matrimonium de praesenti, licet Parocho juste invito et stomachante, et hoc quidem factum est tempore interdicti localis.

1243. Q. I. Quot peccata commiserit Quadratus sic contrahendo? R. *Primo*, commisit peccatum grave *injustitiae*, contrahendo contra fidem Genovefae datam; supponitur enim injuste resillisse. *Secundo, duplicis inobedientiae*, quia contra gravem et justam prohibitionem Parochi contraxit, et quidem neglectis trinis denuntiationibus. *Tertio, Sacrilegii*, suscipiendo sacramentum matrimonii in statu peccati mortalis; juxta alios etiam administrando. Quod autem valide nihilominus contractum fuerit hoc matrimonium, patet ex eo, quod adsint omnia ad valorem requisita; nec obstat, quod dolose, contra vetitum Parochi, et coram illo invito contractum sit, quia haec omnia non faciunt, ut non sit simpliciter coram Parocho et testibus contractum, uti dicitur de imped. clandest. Vide etiam *Sanch. L. 3. d. 5. et 39.*

1244. Q. II. An valide et licite contrahatur matrimonium tempore interdicti localis, aut generalis, prout hoc significat censuram, aut cessationem a divinis? R. 1. Quod valide contrahatur, passim affirmant AA. cum Glossa per c. *Alma mater*. de sentent. excomm. in 6. Vide *Covarruv.* eod. c. *Alma*. Et ratio est, quia nullus extat canon irritans. R. 2. Probabilius etiam licite contrahitur. Ratio est, quia illa solum Sacramenta illicite suscipiuntur tempore interdicti, quae sunt pure spiritualia, et ab Ecclesia dispensantur per ministrum specialiter ad id ordinatum: atqui matrimonium est contractus quidem naturalis, cui per accidens adiecit Christus rationem Sacramenti, nec administratur per ministrum specialiter ad id ordinatum, cum ipsi contrahentes sint ejus ministri, uti dictum est n. 1176.; ergo. *Confirm.* ex cit. c. *Alma mater*, ubi dicitur, *quocumque tempore* posse contrahi matrimonium: ergo etiam tempore interdicti. Denique eo tempore non prohibentur alii contractus per se naturales: ergo

nec contractus matrimonii, qui per se naturalis est. Ita *Sanch. L. 7. d. 8. n. 2.* cum *Rosella, Sylv., Navar., Palud., D. Antonino*, et aliis contra *Leandrum*. Ibid. ait n. 3. posse etiam eodem tempore praemitti consuetas denuntiationes, et n. 11. etiam nuptiales benedictiones servata moderatione in c. *Alma*. indicata; nimirum submissa voce, januis clausis, exclusis excommunicatis et interdictis: excipit tamen n. 12. *nisi Ecclesia speciali interdicto affecta sit.*

CASUS II.

Quido Parochus praemissis duabus proclamationibus a sponso Praetoris filio rogatur, ut tertiam condonet; diu reluctatus tandem importunis precibus benigne annuit, putans omissionem unice denuntiationis esse parvitatem materiae. Jubet igitur sponso postridie adesse, ut pro more examinentur: sub examine reperit sponsum et sponsam plane ignaros mysteriorum fidei. Accedit quoque testis revelans impedimentum dirimens; quo cognito, mox prohibet matrimonium, et sponso mittit ad Ordinarium, a quo post duos menses tandem obtinent facultatem nuptias celebrandi.

1245. Q. I. An Quido peccasset mortaliter, si unam ex tribus denuntiationibus omisisset? R. *Affirmative*; quia id fecisset sine licentia Ordinarii, et sine necessitate maxime urgente, contra grave praeceptum Tridentini, quod vide n. 1178. Praeterea certum est, quod talis agat contra praxim communem, et se reum faciat gravissimae poenae, de qua infra n. 1250. Ita *Leander, Mart., Perez, Illsung, Antoine* de matrim. c. 3. q. 2. contra *Sanch. L. 3. d. 5. n. 7.*, *Tamb.* et alios, qui dicunt, quod talis omissio sit venialiter peccaminosa, si parochus aliunde sit certus de carentia impediendi; secus si non sit certus.

1246. De denuntiationibus (quae etiam vocantur proclamationes, edicta, banna) porro observa. *Primo, ordinarie* illae non debent fieri in diebus ferialibus; quia Tridentinum expresse dicit, ut fiant *in diebus festis*. Citat etiam *Bossius* declarationem S. Congregationis, quod nequidem Episcopus possit jubere ut in diebus ferialibus fiant. At *Bonac.*, q. 2. de matrim. p. 6. n. 18., *Laym., Gobat* et alii judicant, eas fieri aliquando posse non tantum diebus dominicis, et festis universalibus, sed et particularibus alicujus loci, imo et alio die, quando ad concionem, et missarum solemniam magnus est concursus populi; quia tunc satisfit intentioni et fini Tridentini, scil. ut in frequentia populi, qualis haberi solet in festis, facilius detegantur impedimenta matrimonii, et sic non fit dispensatio in lege *Trid.*, sed praesumptive secundum illam agitur. Alii monent, consuetudinem locorum in hoc puncto observandam esse, quae per accidens illicita fieri posset, si populus forte ex denuntiatione facta die non festo scandalizaretur.

1247. *Secundo* jubet Trident., ut denuntiationes fiant *tribus continuis diebus festis*. Ex praxi patet, haec verba non esse necessario ita intelligenda, ut illa festa sint immediate continua sine intervallo ferialium dierum; sed ut inter unam, et alteram denuntiationem non intermedient festa. Ait tamen *Bonacina* l. c. n. 15. cum *Sanch., Gutierrez* et aliis contra *Henriq.* parochum non peccare mortaliter, si unum vel alterum diem festum inter unam alteramve denuntiationem interponat; secus si multos dies festos, aut dominicos interponat; quia in secundo, non item in primo casu in re gravi censeretur graviter agere contra prohibitionem Ecclesiae. Praeterea *Sanchez* L. 3. d. 6. n. 8., *Pirrhing, Illsung*, et alii volunt inter unam et alteram proclamationem aliquot dies interponi debere, sicut decretum fuit in Conc. Moguntino sub *Sebastiano Archiepiscopo* cap. 38. et in Conc.

Coloniensi sub *Adolpho Archiepiscopo*. Absolute tamen eas fieri posse in tribus immediate continuis festis, v. g. in triduo Paschatis, affirmant *Tambur.*, *Gonzalez*, *Pontius* et alii, quia sic vere adhuc secundum verba Tridentini proceditur. Itaque circa hoc respiciendum est ad statuta et praxim cujusque dioeceseos. Denique si intra duos menses post factas denuntiationes matrimonium non contrahatur, denuo repetendae sunt; nisi aliter Episcopo videatur, ait *P. Antoine* ex *Rituale Romano*, quia interea potuit intervenire novum impedimentum, v. g. affinitatis.

1248. *Tertio* addit *Trident.* ut denuntiationes fiant in *Ecclesia inter missarum solemnias*: ex praxi tamen diversarum Ecclesiarum huic legi satisficit, si fiant post concionem, vel alias publicas devotiones. Vide *Barbosam* de officio Episc. alleg. 32. n. 16. et 17. ubi asserit, denuntiationes hoc modo fieri in facie Ecclesiae non quidem materialiter, sed formaliter sumptae, hoc est in multitudine fidelium.

1249. *Quarto*, vult *Tridentinum*, ut denuntiationes fiant a proprio contrahentium Parocho; ita tamen ut etiam alteri facultatem promulgandi possit concedere, sicut alteri Sacerdoti potest facultatem concedere assistendi matrimonio. Quod si igitur contrahentes pertineant ad diversas parochias, sub gravi peccato (ut ait *Kugler* de imped. c. 4. §. 1. num. 231.) denuntiationes fieri debent in utriusque contrahentis parochia, uti patet ex praxi, et ex declaratione S. Congreg. 21. Febr. 1592. quam citat *Pignat.* t. 9. consult. 133. n. 90. Ratio est, quia uterque Parochus talium contrahentium est proprius; item quia in parochia sponsi non potest haberi notitia de impedimentis sponsae, et vicissim. Hinc etiam praxis obtinuit, ut Parochus unus non possit assistere matrimonio, nisi prius habeat testimonium alterius Parochi de denuntiationibus factis. Addit tamen *P. Kugler* de imped. c. 4. §. 1. n. 231. cum *Laym.*, *Sporer*, *Pirrhing* et *Wiestner*, si alicubi vigeat consuetudo, ut contrahentes in solo loco contractus denuntientur, eam damnari non posse. Item quando ob locorum distantiam, vel ob rationabilem causam non posset id fieri in utriusque Parochia, in quo casu, si v. g. sponsus spectet ad aliam dioecesim, peti debet testimonium a Parocho loci, ubi natus et baptizatus est, qui testari debet, neque sibi, neque aliis privatim examinatis notum esse aliquod impedimentum. Juxta decretum *Clementis X.* anni 1670. 4. August. tales exteri remittendi sunt ad Ordinarium, et ab eo examinandi, an substant impedimento. De vagis ita statuit *Trid.* sess. 24. c. 7. de reform. matrim. *Multi sunt, qui vagantur et incertas habent sedes, et ut improbi sunt ingenii, prima uxore relicta, aliam, et plerumque plures, illa vivente, diversis in locis ducunt. Cui morbo cupiens sancta Synodus occurrere, omnes, ad quos spectat, paterne monet, ne hoc genus hominum vagantium ad matrimonium facile recipiant; magistratus etiam saeculares hortatur, ut eos severe coerceant: parochis autem praecipit, ne illorum matrimoniis intersint, nisi prius diligentem inquisitionem fecerint, et re ad Ordinarium delata, ab eo licentiam id faciendi obtinuerint.* Hanc cautelam *Tridentini* ob identitatem rationis *Coningk*, *Pirrhing* et alii merito extendunt ad illos peregrinos, et alienigenas, qui alibi domicilium fixum habentes contrahunt in loco, ubi ignoti sunt, quod tamen sine licentia Parochi dicti domicilii valide fieri non potest, nisi in novo loco aliud domicilium acquisiverint. Addit *Pignatellus* tom. 7. consult. 23. n. 2. praeter inquisitionem in vagos et ejusmodi peregrinos, et praeter licentiam Ordinarii insuper a *Congreg. Inquisitionis* requiri, ut fidem, aut testimoniales habeant a suis Ordinariis, quod sint liberi. Ex his colligitur, quod quidem vagorum matrimoniis quilibet Parochus, ad quem veniunt, valide assistat, cum alium proprium non habeant; illicite tamen assistat, peccetque mor-

taliter, si omittat diligentem inquisitionem, rem non deferat ad Ordinarium, et ab eodem non habeat licentiam; quia agit contra praeceptum grave *Tridentini*.

1250. Causae dispensandi super denuntiationibus sunt: 1. Quando prudenter timetur malitiosum impedimentum nuptiis ponendum, v. g. per maleficium, vim, dolum, subornationem falsorum testium etc. 2. Nimiis pudor, dum vel valde senes et decrepiti, vel valde dispares statu, conditione etc. contrahunt. 3. Si magnates contrahant. 4. Vicinitas temporis, quo prohibetur solemnitas nuptiarum; praestat enim denuntiationes omittere, si aliunde satis constet de carentia impedimenti, quam cum periculo incontinentiae, aut dissolutionis sponsalium nuptias differre. 5. Si renovetur prius matrimonium ex aliquo occulto impedimento irritum. 6. Si contrahentes sint vagi et ignoti, quia (ut ait *Gobat*) tali casu denuntiationes essent superfluae. Plura vide apud *Laym.* L. 5. t. 10. p. 2. c. 4. n. 11., *Kugler* hic n. 239. et seq. Nunquam absque commissione Episcopi dispensare potest parochus, sive ut penitus omittantur denuntiationes, sive ut differantur post matrimonii contractum: si vero in articulo mortis concubinario contrahenti assistat, ubi accedere non posset ad Episcopum, non dispensaret, sed per epikeiam declararet, legem in tam arduo casu non obligare. *Parochus autem* (ut docet *Bened. XIV.* L. 7. de Synod. Dioeces. c. 69. n. 2.) *matrimonio interesse praesumens, cui legitimae non praecesserint denuntiationes, suspensione ab officio triennio duratura, aut etiam graviore poena plecti jubetur; c. cum inhibitio. §. fin. de clandest. despons. . . ipsis vero contrahentibus, qui Ecclesiae mandatum in re sane gravi contempnunt, condignam poenitentiam injungendam in eod. cap. statuitur.*

1251. Porro de denuntiationibus *Sporer* tradit sequentia de matrim. a n. 379. I. Denuntiationes sunt quasi edictum, quo praecipitur fidelibus, ut si noverint aliquod impedimentum sive dirimens sive impediens, illud Parocho manifestent sub gravi obligatione, tum propter impediendum peccatum proximi, ad quod tenentur ex praecepto divino, tum propter reverentiam sacramenti, tum propter hoc ipsum praeceptum Ecclesiasticum ob gravem finem graviter obligans; id quod fidelibus inculcandum est in catechesi, et concionibus.

1252. II. Testis volens manifestare impedimentum dirimens conjunctum cum infamia, utpote ortum ex gravi delicto sponsi vel sponsae, debet servato ordine charitatis prius monere solum obnoxium illi impedimento, ut desistat a matrimonio, alioquin se suae conscientiae satisfacturum in eo denuntiando. Huic monitioni etiam repetitae si non acquiescat reus, servandum erit praeceptum Christi, *dic Ecclesiae*, ideoque manifestandum est Parocho, etiamsi illud impedimentum infamatorium nosset sub secreto naturali, aut jurasses, te non manifestaturum; quia hic non agitur de punitione alterius, sed de peccato vitando, de reverentia sacramenti, de praecepto superioris, qui triplex titulus praevalet legi de servando secreto naturali, quod habetur extra confessionem sacramentalem. *Confirm.* ex S. Th. 2. 2. q. 70. a. 1. ad 2. ubi ait, secreto commissa esse manifestanda, ubi vergunt in damnum publicum, aut tertiae personae: atqui si adsit impedimentum dirimens, cederet in damnum animae vel unius vel utriusque mala fide contrahentis, et in irreverentiam sacramenti: ergo. Posset etiam testis amice suadere contrahenti, ut rem aperiat prudenti Confessario, qui media suggeret pro impetranda dispensatione.

1253. III. Haec obligatio manifestandi tunc cessat, quando ex revelatione imminet grave malum revelanti, sive *ex se*, v. g. si ipse revelans esset complex delicti, sive aliunde, v. g. quando timetur grave scandalum